

dimus suprà unam pro Euripedæis, alteram pro Archilochicis carminibus. Plures non dabimus, ne Liber in nimiam molem excrescat.

Tertium Syntagma apud eundem P. Kircherum continere debebat sex alias Tabulas, quibus per syncopationem sive ligaturam, artificiosumque fugarum progressum, omnis Musicæ gratia exprimitur. Sed hæ non sunt editæ ab Auctore, sed paucis amicis reservatæ.

Musurgia ergo seu Melopœia Musarithmica, prædictarum Tabularum ope instituenda, consistit in varia & artificiosa dictarum Tabularum seu Columnarum compositione & combinatione; ex qua, quomodolibet facta, necessariò semper nova resultat harmonia.

Artificium, quo Tabulæ Musarithmicæ sunt compositæ, nulli prodit P. Kircherus. Facile tamen est, & à quolibet Musicesperito intelligi, ac in opus deduci nullo ferè negotio potest. Nam si dato quolibet metri genere, aut datis quibuslibet quotcunque syllabarum vocabulis, artificio ordinario componat quatuor, aut quot placuerit, Vocum cantilenas, illarumque intervalia aut consonantias per numeros exprimat, & numeros in Tabulas redigat; habebit Tabulas Musarithmicas desideratas. Hæc sapientibus sufficiunt.

§. II.

De Musarithmis seu Tabulis musarithmicis pro Contrapuncto simplici in particulari.

UNdecim, ut paulò antè dixi, Pinaces seu Tabulas musarithmicas pro Contrapuncto simplici composuit P. Kircherus in Musurgia sua, tam pro solutis, quam pro metro ligatis verbis. Ex his sunt illi quatuor, quos suprà dedimus, & quinta, quæ paulò post sequitur.

Musarithmici pro Contrapuncto simplici.

Omnes continent primò numeros, deinde notas musicas. Numeri in varias divisi sunt cellulas seu areas. Singulæ cellulæ quatuor numerorum series continent, pro quatuor Vocibus mu-

M m m m m 3. siccis,